

villae contra Radeburg per censuales hereditarios solvuntur et solvi consueverunt annuatim in festis Walpurgis et Martini, primo Michahel cultor hereditarius unius mansi et unius areae inhabitator solvit in festo Walpurgis unum sollidum latorum grossorum cum uno pullo et triginta ovis, in festo beati Martini similiter unum sollidum grossorum, item Gerdrudis relicta Alberti cultrix hereditaria medii mansi et inhabitatrix unius areae cum suis heredibus solvit sex grossos Walpurgis, medium pullum et quindecim ova, item Martini similiter sex grossos, a strennuis Donato et Conrado fratribus dictis Richin nostris fidelibus, qui ipsa bona a nobis in feudum tenuerunt, pro decem sexagenis latorum grossorum Myszenensium ipsis iam utiliter persolutis, — tamquam fidelis testamentarius seu fideicommissarius bonae memoriae domini Johannis de Somiruel, quondam praedictae Myszenensis ecclesiae vicarii perpetui, comparaverit et emerit de pecunia per ipsum in morte derelicta ad hunc finem et effectum, quod de praedictis tribus sollidis reddituum duo sollidi, decima hospitalis et pretio campanatoris inclusis, dominis canonicis praefatae Myszenensis ecclesiae emancipatis et integratis, et tertius sollidus vicariis perpetuis et temporalibus in vigiliis et missa defunctorum praesentibus, in anniversario praedicti domini Johannis obitus die debeant in perpetuum ministrari, devota et sincera precum instantia nobis supplicavit, quatenus praedictos redditus saepedictae Myszenensi ecclesiae donare et appropriare dignemur. Nos quoque praedicti domini Syfridi obsequiis fidelibus nobis praestitis admoniti — praedictum mansum cum dimidio areisque attinentibus —, recepta tamen prius resignatione bonorum eorumdem libere a praedictis fratribus Donato et Conrado in nostra praesentia personaliter constitutis et sibi ad plenum scilicet de praedictis decem sexagenis esse satisfactum confitentibus, praefatae Myszenensi ecclesiae et capitulo ipsius donavimus — nihil nobis iuris reservantes penitus in eisdem, dumtaxat iudicio sanguinis in bonis praenotatis nobis heredibusque nostris reservato. Ne autem praefata donatio nostra tam libera aliquorum possit in posterum oblivionis velamine suffocari — praesentem paginam inde conscribi et nostrorum fecimus sigillorum munimine roborari. Datum et actum Mysnae sub anno incarnationis dom. millesimo trecentesimo sexagesimo nono, in crastino circumcisionis domini, praesentibus discretis ac strennuis viris domino Gerlaco de Stuchow^e perpetuo Mysnensis ecclesiae vicario, Hermanno de Malticz milite, Johanne de Malticz, Johanne de Stuchow^e nostro secretario, Jenchino de Heinicz, Bertoldo de Wiszenze notario nostro ac aliis quam pluribus fide dignis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Stiegeln der Burggrafen an Pergamentstreifen.

No. 587. 1369. 3. Apr.

B. Johann eignet der Capelle im bischöfl. Schlosse zu Nossen Getreidezinsen und trifft Anordnungen wegen des Dienstes und des Lebensunterhalts des Capellans.

In nomine domini amen. Gratum exhibere deo speramus obsequium, dum taliter temporalium incrementum bonorum intendimus, ut spiritualium salubritatum¹⁾

1) salubritatem?